Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift

·2·

est apparet uestigium, immensitas potentie, decor sapientie, utilitas bonitatis. Itaque illa tria et a se inuicem determinari uidentur, sed in rebus corporeis. Deus enim unus est, sed non singularis: unus propter simplicitatem substantie, non singularis propter trinitatem personarum. Neque enim confuse accipiendum est ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, nec diis multis, sed ipsi gloria in secula. Amen.

xxxi. Porro quamuis deus deum gignat. xxxi. et si celorum deus, et unus idemque deus sit genitor ac genitus, non tamen debet dici quod deus gignat se ipsum. Hoc enim dicere, quod putat eius potentie esse deum ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errat quod non solum ita non est deus, sed nec spiritualis nec corporalis creatura. Nulla enim omnino res est, que se ipsa gignat ut sit. Deus itaque non gignit se ipsum, quia pater non gignit patrem, nec filius producit filium, sed deus gignit deum. Hactenus sufficiat dixisse de unitate ac trinitate dei; deinceps etiam de presentia eius aliqua subiciamus. xxxii.

xxxii. Deus in se ipso ubique totus est. Ideo ubique, quia nulli parti rerum absens est. Est enim per cuncta diffusus. Ipse quippe ait: Celum et terram ego impleo; et sapientia dei attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suauiter, et attingit ubique propter suam munditiam, et nichil inquinatum incurrit in eam. Item spiritus domini repleuit orbem terrarum. Sed cum deus dicitur diffusus per cuncta, mens a corporis sensibus est auocanda, ne quasi spaciosa magnitudine opinemur diffundi, sicut humus aut humor, aut aer aut lux ista diffunditur. Omnis enim huiuscemodi magnitudo minor est in sui parte quam in toto, sed ita potius sicut est magna sapientia et in homine cuius corpus est paruum. Et si duo sint sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est illa in maiore maior, minor in minore, aut minor in uno quam in duobus, sed tanta in hoc quanta in illo, quanta in unoquoque, quanta in utroque. Neque enim si equaliter